

uno Deo inspirati omnes & animati sumus, quid aliud quam fratres sumus, & quidem conjunctiores, quod animis, quam qui corporibus. VI. Instit. Div. c. 10.

## IV.

Jam vero quid officii nostri sit in hac universalissima societate, Cicero edocet, Etsi quæ descripta sunt legibus & jure civili, hæc ita teneantur, ut est institutum; *In rebus tamen omnibus, quæ ad communem hominum usum natura genuit, servandam esse communitatem;* ut in Græcorum proverbio est: (quod occurrit apud Euripidem in Oreste, & Platonem in Lyside, ac Lib. IV. de Rep. item apud Aristotelem Lib. II. Polit. τα ᾧ φίλων κοινά.) *Amicorum esse omnia communia:* h. e. Amicorum bona, quoad usum, legibus non prohibitum, amicis debere patere. Ac porro recenset communia quædam omnium hominum officia, ad quæ præstanta cuique vel ignoto simus obligati; (1) *Erranti comiter monstrare viam;* secundum effatum illud Ennii: (vetustissimi Poëtæ Latini, cuius solùm Fragmenta quædam supersunt a Paulo Merula collecta & illustrata, Lugd. Bat. 1595.)

*Homo, qui erranti comiter monstrat viam,  
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit.  
Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit.*

Cui addi potest illud Diphili in Parasito: Αγροῖς ἐν ταῖς αἰγαῖς ὅπερ εἴσιν, εἴ τις μὴ Φερτοὺς ὀρθῶς ἴδειν: An nescis, quod in execrationibus quoque sit, si quis rectam viam non ostenderit? Logitur ex ritu Atheniensium, qui quotannis devoverunt homines hac in re peccantes. Ciceronoster Lib. III. Off. *Erranti viam non monstrare, Athenis execrationibus publicis sanctum est.* c. 13. edit. Græv. Juvenalis de Judæis officium hoc negligentibus scribit, eos non monstrare vias; eadem nisi sacra colenti. Alterum: *Patet ab igne ignem capere.* (3) Non